



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita**

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus  
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione  
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

**Antoine, Paul-Gabriel**

**Ingolstadii, 1734**

**VD18 90392140**

Q. 1. Quid est Scandalum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40986**

conditiones requiruntur. 1. Ut constet de injuria illata. 2. Ut Princeps vel Magistratus civium nocentium rogatus debitam satisfactionem deneget. 3. Ut fiant auctoritate Principis civium læsorum. 4. Ne plus damni inferatur, quàm justa satisfactio requirit. 5. Ut non fiant in personas Ecclesiasticas, & earum bona, cap. *Un. de injur. in 6.*

## §. IV.

*De Scandalo.*

Q. I. *Quid est Scandalum?*

Resp. **Q** Generatim duplex est, nempe activum, & passivum. Scandalum activum est dictum, vel factum minùs rectum præbens alteri occasionem peccandi. Sub dicto, vel facto comprehenditur etiam omisio externa: nam qui omittit agere vel loqui, quod debet, aliis est scandalum. Dicitur minùs rectum, hoc est, quod vel malum est, ut si turpia loquaris coram adolescente; vel mali speciem habet, ut si mulierem suspectam domi tuæ aleres, licet cum ea nec peccares, nec periculum tibi esset cum ea peccandi; aut si justa de causa, coram aliis eam ignorantibus, comedas carnes die vetito. Unde illud 1. Ad Thess. 5. *Ab omni specie mala abstinete vos.*

Scan.

Scandalum passivum est ipsa ruina, seu peccatum proximi, ex occasione facti, vel dicti vel omissionis alterius commissum. Dividitur in scandalum pusillorum, seu infirmorum, quod oritur ex ignorantia vel infirmitate peccantis; & in Pharisaicum seu merè acceptum, quod oritur ex ipsa malitia. Sic vocatur, quia Pharisei ex insigni malitia occasionem peccandi ex sanctissimis Christi dictis & factis sumebant.

Q 2. *An Scandalum est speciale peccatum?*

*Resp.* I. Dare scandalum directè, inducendo scilicet proximum ad peccandum, etsi non ex intentione expressa, ut peccet, & pereat, sicut facit dæmon, sed propter utilitatem, vel voluptatem aliquam propriam, aut alterius, est peccatum speciale contra Charitatem. Nam Lex Charitatis in Deum, & proximum, vetat, ne offensam Dei, & malum spirituale proximi quovis modo procuremus. Præterea hoc directè opponitur præcepto correctionis fraternæ, cum sint contraria revocare proximum à peccato, & eum in illud inducere.

Imò talis inductio habet duplicem malitiam in Confessione exprimendam, unam contra Charitatem, & alteram contra vir-